

Q. D. B. V.

22

DE
SIMVLATIONE
ET
DISSIMVLATIONE,

*Auxiliante divino Numine,
&
moderante*

V I R O

Amplissimo atque Excellentissimo

D O M I N O

CHRISTIANO Röhrensee/

Philosophiae Moralis Professore Publico longe celeberrimo,
Alumnorum Electoral. Ephoro
gravisimo,

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO

adinftar patris observando,

ad d. Nov. clb lbc lc.

H. L. Q. C.

pronunciabit ac differet

M. CHRIST. MICHAEL *Bischoff* /


Langensalz. Thur.

Philos.

VITEMBERGAE, Literis JOHANNIS HAKII,

C.

22, 30



// עמי
// עשו

QVandoquidem animū incescit cupido publice periclitandi vires meas, scribendique aliquid, de quo solidissimum eruditorum iudicium experiri possem; malui istud ex Ethica, quam aliunde depromere, cuius egregiae disciplinae τὸ δεινὸν ac dignitatem eruditissime, ut omnia solet, exponit Celeberrimus Morhofius in Polyhist. lib. I. cap. XII. p. m. 121. Varia quidem se offerebant deliberanti, quae scribendi meditandique curam merebantur: placebat tamen eo dirigere cogitationes, ut simulationis ac dissimulationis bonitatem & malitiam explicarem lucidius, simulque ostenderem pro viribus, qua ratione vir prudens in iis nimium parumve devitare queat. Hodie namque eo res pervenit, ut prudentissimus habeatur, qui saepe doli licet fraudisque plenissimus ita inservit tempori, ut veritatem probe dissimulet, & sub virtutis specie aliud sermone proferre, in fraudemque hoc modo inducere alios callidissime studet. Reperias contra non paucos, qui omnem penitus veri occultationem falsive simulationem in vitio ponant, exilioque corrigere aufint, secuti Ciceronem, qui omnem simulationem ac dissimulationem e societate humana exterminare cupide elaborat lib. III. Offic. At enim
vero

vero utrosque non satis sibi constare, magnoque duci errore deprehendas facile. si rectam rationem adhibeas in consilium, & sacri simul codicis doctrinam non negligas quippe qui multa eorum suppeditat exempla, qui frequentissime egregii communis honestatisque ergo vera animi sensa absconderunt, & aliud ab animi sensis diversum protulerunt in medium, & tamen a reprehensione abfuerunt. Sed nolo ulterius praefando *B.* lectori molestus esse, quando quidem ea fusius enodantur in ipsa qualicunque dissertatione, quae huc pertinere videbantur. Faxit *DEVS* immortalis, omnium laudandarum rerum auctor, ut quem laborem in eius fiducia innixi orsi sumus, feliciter ex animique sententia finiamus, & ita moderetur animum nostrum, ut ne a vero aberremus.

I.

Antea vero, quam ad propositum veniamus, monitu videtur necessarium, quorsum referri debeat doctrina, quae de differendi animus est. Qui iuris naturae praecepta tradunt explicantque, ponunt simul ius & officium ob oculos, quo homo homini in sermone obligatur, sub quo etiam comprehendunt utilissimam doctrinam, quam in praesenti literatorum oculis subiicimus. A doctoribus autem prudentiae moralis refertur ad caput, quod de Veritate & Mendacio agit, unde non alienum existimo a re proposita docere, quid sit Veritas quidve Mendacium, quo facilius simulandi dissimulandique ratio innotescat. Apparet autem, nobis non esse sermonem de ea Veritate, quae omnis rei attributum, transcendentisque disciplinae propria est, in cuius natura indaganda satis operosi sunt laudatae disciplinae doctores. Neque etiam veritas Logica nos magnopere habet sollicitos, quae consistit in conformitate cognitionis cum

re ipsa. Etenim non ille tantum veritatem dixisse censendus est, qui rem in se falsam dicit veraci animo; quemadmodum contra mentitur, qui rem veram dicit, quam tamen falsam esse putat. Pertinet itaque ad intellectum tantummodo, Ethicae autem propria veritas sedem sibi fixit in voluntate. & differt ab illa in eo, quod simul superaddit dicentis intentionem & obligationem. Alias vocatur candor, fides, sinceritas, integritas item, quae quidem magnam inter se habent affinitatem, quamvis non per omnia faciant paria.

II. Definiri autem ita potest, quod sit virtus, qua quis verbis, factisque & gestibus animi sui conceptus profitetur alteri, qui illos intelligendi ius habet. Eius itaque genus est virtus moralis scilicet, quia veritati optime convenit definitio moralis virtutis, ut sit habitus electivus, habens conformitatem cum lege naturae. Cui autem competit definitio, illi quoque definitum competat necesse est, cum haec duo non re, sed cogitatione tantummodo distinguere liceat. Itaque non satis accurate videntur mihi virtutes definire illi, qui generis loco ponunt dispositionem, qua in re auctorem habent Illustrē Pufendorfium lib. I cap. IV § 6 del. N. & G. cum dispositionis notio initium rei tantum denotet, non rem perfectam, qualis virtus esse debet. Silentio quoque praeterire lubuit mediocritatem, quam virtutis formalem rationem tota Aristotelicorum cohors comminiscitur, ac propterea omnium virtutum definitionibus inserit. Haec enim mediocritas formae virtutis sustinendae impar est, cum sit posterior virtute, & non tam formale constituens, quam formale consequens eius dici queat. Certe haec virtutis forma Aristotelica locum non habuit in statu integritatis, ubi non opus erat nimium parumve evitare, quod omnes

hominis affectus erant recti: nisi quis cum Socinianis statum purorum naturalium comminisci velit, in quo primi parentes fuisse dicuntur sine vitiis & virtutibus, cui horridae sententiae etiam suffragatur H. Grotius L. II §. 2 de I. B. & P. Accedit, quod vitiorum formam nemo ponat in extremitate, sed in disconvenientia cum lege naturae: oportet ergo virtutis formam non in mediocritate, sed convenientia cum lege ponamus, quod oppositorum opposita ratio est. vid. Meisner. Philos. Sobr. Part. I Sect. II Q. II. Consistit autem veritas formaliter in congruentia verborum, factorum & gestuum cum animo: nam hoc modo optime in sua essentia constituitur, & a ceteris virtutibus distinguitur. Quoadmodum enim veritas theoretica consistit in conformitate intellectus cum re ipsa: ita quoque moralis veritas consistit in conformitate appetitus rationalis cum rebus & actionibus. Quilibet scilicet in conscientia obligatus est, ut in actionibus, contractibus, emptionibus, venditionibus, obligationibus, promissionibus, foederibus aliisque societati humanae intervenientibus rebus ea loquatur agatve, quae habet in animo, nec aliud sui commodi amplificandi ergo dicat, sed in omnibus verbis constans semper sit sibi que similis.

III. Exposita nunc veritate facilius erit cognoscere, quid sit mendacium. Ac primo quidem communiter in eo consentiunt Philosophiae doctores, ut definiant mendacium per vitium morale, quo aliquid verbis, gestibus aliisque signis significamus, adversum illi, quod in mente, voluntate & affectu est: at enim requisita huius vitii non omnes satis feliciter adsecuti sunt. Nam quando I. ad mendacium requirunt, ut id, quod enunciatur, falsum sit; illud non omnibus probatur, ex ea quidem ratione, quia aliquis Logic
gice

gice verum dicere potest, nec tamen veraciter, & quod Logicè verum possit loqui, & tamen mentiri, uti supra §. I. diximus 2.) requiritur, ut adsit fallendi voluntas. Cum enim voluntas sit principium actus moralis, oportet quoque mendacium proferri fallendi voluntate, si proprie ita dici debeat, alias falsiloqui tantummodo merebitur nomen. 3.) ut adsit intentio fallendi alterum mendaci sermone. Quae quidem duo posteriora probantur utique, sed haec omnia coniunctim sumpta nondum vere constituunt mendacium proprie dictum, quod vel inde satis liquet, quia si haec tria requisita tantummodo sufficerent, male stratagemata bellica ad mendaciorum classem detruderentur, quae tamen exinde eximenda sunt. Ita docuit Excellentiss. Dn. Praeses in privatis Scholis super Puf. Tract. de O. H. & C. cap. X. Hac ratione adducti accuratiores quidam aliud adhuc requirunt, nimirum ut is, ad quem sermo noster dirigitur, ius habeat animi nostri sententiam intelligendi, nobisque obligatio incumbat efficiendi, ut ille nostram sententiam utique intelligat. H. Grot. III. I. II. de I. B. et P. Pufendorff. IV. I. 8. seqq. de I. N. G. Vffelmann. libr. de iure, quo homo homini in sermone obligatur cap. IX. §. 13. Enim vero DEVS Optimus Maximus hominem praeceteris animantibus facultate secernendi bonum a malo, & honestum a turpi instruxit, deditque ei sermonem tanquam instrumentum, quo ad conservandam societatis humanae utilitatem uti possit. Cum vero omne instrumentum ex fine aestimari debeat, salis lucide apparet, tunc demum hominem honeste uti hoc instrumento, quando nec laedit societatem, nec ius violat, quod alteri ad animi ipsius sensa intelligenda cōpetit. Sed unde illud ius oritur? Grotius constituit istud in iudicandi libertate, quam homines colloquentes his, quibus colloquuntur, debere

tacito

tacito quasi pacto quodā intelligantur. III. I. II. Verū natura ipsa nobis præcipit, ut verba animi nostri sensus respondeant, adeoque perperam tacitum aliquod pactum fingitur, nisi intelligatur illud de apte adhibendis verbis, quorum beneficio animi nostri sensa ab altero possint intelligi. Puf. l. c. §. 10. Per iudicandi autem libertatem id intellexisse videtur Grotius, quod verba nostra ita proferre debeamus alteri, cum quo loquimur, ut animum nostrum recte percipiat; quod si autem talia verba dolo malo proferantur, quae menti nostrae non respondent, tollitur statim ista libertas, & naturae ius gravissime violatur.

IV. Quod iam explicuimus vitium, voce quidem unum est, at re geminum: in excessu enim vocatur Arrogantia, in defectu autem Disimulatio. Ita docet summus Aristoteles, IV. Nic. c. VII, qui vero vapulat propterea a Grotio, quod veritati dederit opposita, minime ex aequo respondentia, h. e. quae ambitu suo non exhauriant oppositionis latitudinem. de I. B. & P. Prol. n. 43. Male hoc habet Jac. Thomafium, qui valde invehitur in Grotium, & vindicat Aristotelis famam ab hoc cavillo tab. XXIII. Ph. Pr. & in annot. p. 25. distinguendo cum Feldeno Icto annot. ad Grotii d. l. inter veritatem homileticam & iustitiarum. Defendit quoque Aristotelem Gronovius Annot. ad l. c. §. 45. Ceterum arrogantia seu simulatio dicitur, quando res supra veritatem exaggeratur, vel per simulationem plura maioraque rei dicuntur inesse, quam re vera insunt. Cuius primus parens auctorque est iuratisimus hominum hostis, qui ut primus a veritate deflexit mentitusque est, sic primos nostros parentes consiliis suis pestilentissimis valde corrupit & eo abduxit, ut crederent, se praepotentis effectoris sui fore similes, si de arbore vetita decerperent fructus. Hunc veteratorem

teratorem hostem sequuntur omnes, qui maiora arrogant sibi, quam iure sibi competunt; & qui propriae alicuius gloriae aucupandae de se ipsis aliquid affirmant, quod non est: ut & omnes adultores, qui aliis ea adscribunt, quibus tamen destituuntur, quod faciunt historici, qui in condendis nationis suae historiis eo saepe prolabantur audaciae, ut plura quam par est, de ea gloriantur, ut taceam alios, qui in hunc censum alias referuntur. Disimulatio autem vocatur, qua extenuantur & denegantur rei ea, quae ei iure meritoque competunt, contrariaque prorsus excogitantur. Atque huc pertinent omnes homines fraudulentii, qui eum ad finem sua extenuant, ut eo melius aliis possint imponere: sophistae, qui contra conscientiam veritati vim inferunt, item obrectatores, qui aliorum bene gestis detrahunt, omniaque in peiorem partem interpretantur. Haud immerito huc referas eos, qui in ritibus ad religionem pertinentibus simulare non verentur, quasi vero id non esset mendacium, quoniam animus abest, falsam religionem amplectendi. Enim vero quot, quaeso, dantur, qui proficiscentes in extera loca veram religionem disimulant, & coram idolo procumbunt, aliosque ritus approbant, quos tamen DEVS severissime fastidit. Sed plane non sunt excusandi ii, quacunque tandem utantur excusatione. vid. Dannhav. Coll. Decal. Disp. VI p. 395. Ceterum de his omnibus impune dixeris illud Ciceronis, non esse capitaliorem hominum pestem, quam eorum, qui maxime fallunt, id tamen agunt, ut boni viri esse videantur. Lib. I Offic.

V. Distinguunt vulgo Philosophi inter mendacium iocosum, officiosum & perniciosum, quam distinguendi rationem docti sunt a Lombardo Lib. III sent. dist. 38. Mendacium iocosum vocatur, quod non ad alterum fallendum,

B

sed

sed delectandam fingitur. Officiosum dicitur, quod propter honestam causam & utilitatem alterius regit aliquid, quod dicere non necesse est. Quilibet autem, ut opinor, fatebitur, haec duo improprie dici mendacia, quippe quibus omnia requisita non competunt, quae supra adduximus. Namque in iocando neque voluntas neque intentio fallendi adest, sed tantummodo eo diriguntur, ut alter in honestis societatibus delectatione voluptaque afficiatur. Quod vero attinet ad mendacium officiosum, pertinet illud ad licitam simulationem ac dissimulationem, de qua in posterum plura erimus prolaturi. Hoc enim improbari nequaquam posse inde constat, quoniam is, qui ex officio aliquid dicit, quod diverfum est ab animo, non obligatus est ad animi sensus aperiendos. Ita principis consiliarius, qui arcanorum omnium particeps est, interrogatus de iis, non mentitur respondendo, talia se ignorare, quoniam probe novit, magistratus arcana consilia non esse evulganda, sed dissimulanda. vid. Clarissimi VVeisii Quaest. Pol. Part. III cap. 3 Qu. XIII seqq. ubi simul adducit verba D. Lutheri in Genesin p. 156. Eine Lügen ist eigentlich / wenn man etwas falsches sich zum ungerechten Nutzen / und dem andern zum ungerechten Schaden redet. Pergit autem praedictus vir DEI, dasjenige / was insgemein eine Noth- oder Amts-Lügen genennet wird / sey durchaus nicht eine Lügen / sondern eine Tugend / eine treffliche Klugheit / ein Eiffer der Christlichen Liebe / und eine treue Vorsorge des Nächsten / dadurch manche Sünde verhütet / und des Satans Berck verstöret wird. Videantur hac de re, qui Theologiam moralem contextuerunt.

VI. Qua

IV. Quamvis autem, quae haecenus de aequivoca Lombardi distinctione scripsimus, ita sint in promptu, ut omnes pene habeant consentientes, est tamen Pareus, qui in commentariis super Cap. XXVII Genes. mendacium officiosum ac iocosumque proprie ita dici debere pugnat. Habet quidem argumenta, quibus opinioni suae aliquam fidem facere conatur, quae tamen in nullo veritatis praesidio innixa sunt, ideoque nos ad assensum movere non possunt. Satis ea confutavit Dn. Siebenthal in Coll. Eth. Exerc. XII Q. VI. Nos actum agere nolumus, quando maiora potioraque habemus enodanda, & distinguimus tantummodo inter mentiri & mendacium dicere, quae distinguendi ratio ubivis obvia est, & multis difficultatibus occurrit pariter ac medetur. Illud praeter difformitatem animi & verborum importat simul studium alteri nocendi, cui ius competit verba recte intelligendi, & in vitio merito ponitur: hoc non item. Potest enim aliquis novi aliquid in se falsum alteri narrare, quemadmodum res ad aures suas pervenit, & hoc modo quidem falsum dicit, sed tamen Ethice non mentitur. Alii distinguunt inter mendacium & falsiloquium, quae duo egregie explicantur a Celeberrimis duum viris Grotio de I. B. P. III. I. § 12. & Pufendorfio de I. N. G. IV. 19. Cavere autem sibi debet unusquisque, ne simulandi studio aliquid faciat contra iustitiam, honestatem & utilitatem publicam, ut probe monuit supra laudatus VVeisius l. all. alias simulatio non carebit culpa. Id namque causae est, cur simulatio religiosissimi cetera regis Iehu turpitudinis affinis censetur, qui quidem ex officio celabat veritatem, sed simul idolis sacra faciendo legi divinae non faciebat satis 2. Reg. X, 19 seqq.

VII. Itaque apparet ex haecenus dictis, mendacium perniciosum in se turpe esse, a quo quilibet sibi diligentissime debet providere, ne violet legem *DEI*, & in gravissimam eius vindictam incurrat. Omnis enim mendax valde peccat contra ius, cuiuslibet naturae divinitus impressum, & iniurius est iniustitiam & sanctitatem aeterni Numinis, ex qua sanctissimum naturae ius suam traxit originem. Neque hoc ignoraverunt saniores ethnici, qui quamvis non assecuti fuerint suprema Christianorum, ex natura tamen, quam tanquam ducem secuti sunt, egregie perspexerunt, quantus splendor dignitasque insit in veritate, & quam turpe sit mentiri. Audiamus modo praeter ceteros Aristotelem, καθ' αὐτό, inquit ille, τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν, τὸ δὲ ἀληθὲς καλὸν, καὶ ἐπαινετόν. h. e. mendacium per se quidem malum & vituperatione dignum est, veritas autem bona est & laudanda. lib. IV Eth. cap. VII. Hinc Pomponius Atticus eximie collaudatur quod adeo fuerit veritatis diligens, ut ne ioco quidem mentiretur; ut aliorum non faciam mentionem. Sacra certe scriptura tanquam animae pestem nos declinare iubet mendacium, simulque vindicem *DEI* iram ante omnium oculos ponit, qua exacuitur in eos, qui pestilentissimo hoc vitio se delectant. Nihil attinet ad contrariam sententiam probandam necessitatem praetendere, qua compulsus aliquis impune mentiri possit: quandoquidem nulla necessitas tanta oriri potest, ut propterea iuri naturali vis inferri debeat. Neque vero sacer codex ad versariis patrocinator, qui quidem acerrime in eo sunt occupati ut proferant eorum exempla, qui sanctissimam vitam vixere, & tamen citra reprehensionem fuerunt mentiti. Horum partibus favere videtur Abraamus, vir sanctissimus, vitaeque

vitaque integer, qui profectus in Aegyptum, cum propter uxoris suae liberalem formam ab incolis eius regionis sibi vereretur infidias, hanc sororem suam professus matrimonium dissimulavit. Multi equidem obnixe dant operā, ut insigni pietate virum excusent, dicendo, cum non fuisse mentitum, sed disparatam protulisse veritatem. Verum incomparabilis Theologus Gerardus id plane improbat ab Abraamo factum, cuius sententiam recitavit D. Osiander in annot. ad Cap. I lib. III Grot. de I. B & P. cui suffragatur D. Dannhauerus, qui in Colleg. Decal. Disp. VI Q. I. cum aequivoce Pharaoni respondisse dicit.

VIII. Nullum itaque praesidium inveniunt Pontificii, cum primisque ii, qui a societate Jesu se nominant, pro adstruendis Politicis aequivocationibus, cum animo fallendi coniunctis, quippe quae aequae mendacia, adeoque prohibita sunt, atque aperta mendacia, quamvis pro iis propugnent, vel saltem excusent easdem & approbent, ut adeo temere se purgent, quod ostendit Meisnerus Part. III Phil. sobr. sect. I. c. VII Q. I. Sunt vero aequivocationes nihil aliud, quam vocabula, vel phrasae, vel etiam propositiones ambiguae, duplicem sensum admittentes. Non omnes autem possunt simpliciter improbari, quippe necessario saepe iisdem utendum est propter vocabulorum defectum & penuriam, rerumque multitudinem, quibus cogimur, ut uno vocabulo multas res indicemus. Non raro etiam sponte nostra utimur vocibus propositionibusve diversa significantibus, ut orationem tropis elegantibusque figuris exornemus. Vbi tamen simul cavendum est, ne istarum usus sit nimius, sed saltem ita limiterur oratio his pigmentis veluti colorata, ut ne auditoris animus dubius relinquatur. Verum hoc loco improbantur aequivocationes Politicae, quibus

bus aliquis utitur, quando nudam veritatem profiteri animi-
que sui sententiam clare rotundeque aperire debet, & ita re-
spondet, ut tamen aliud mente reconditum habeat. Verbi
causa: Si quis proficiscatur Romam, & magistratus eius ur-
bis ex eo quaerat: tunc es religioni Catholicae addictus?
ille vero respondeat: ego sum religioni Catholicae
addictus, intelligat autem religionem Apostolico-
Catholicam & veram Lutheranam; committeret
hic equivocationem Politicam & proprie dictum
mendacium, quia hoc modo iudicis quaestio deluditur,
qui simul iure illo privatur, quod habet ad peregrini huius
sententiam recte intelligendam. Pertinent huc quoque
tacitae interpretationes, quando aliquid mente supprimitur,
quod ad sensum orationis implendum pertinet, v. g. nescio,
scilicet, ut tibi dicam, non habeo, scilicet ut tibi dem; ut &
reservationes mentales, cum verba non admittunt verum
plenumve sensum, nisi cum adiectione mente suppressa, sive
aliqua restrictione, quae mente solum includitur, at verbis
nullo modo enunciatur. Hoc artificium, si quisquam
alius, probe didicerat Arius, atrocissimus divinae veritatis
hostis, homo ad fraudem acutissimus, sine ulla religione ac
fide, qui a Constantino M. ad reddendam rationem fidei
suae Byzantium evocatus, cum concilii Nicaeni subscri-
bere deberet decretis, iuravit quidem; sed tamen hac usus
fallacia, ut doctrinam suam in charta scriptam sub ala oc-
cultaret, & sic iuraret: sentio sicut scripsi, scilicet in charta
mea, teste Socrate lib. I cap. 38. Sed quid, si hoc non est,
ore suo pacem loqui, in animo struere insidias? quod tamen
severissime prohibet DEVS Jer. IX, 8. quippe in quem eius-
modi equivocationes, tacitae interpretationes mentalesque
reservationes maxime sunt iniuriae, qui eiusmodi verba
praesu-

praesu-

praesumitur accepturus in sensu loquentis : cum tamen accipiat in sensu eius, cui loquitur, dicente D. Dannhauero Coll. Decal. l. c. Imo si haec fraudum & fallaciarum genera admitterentur, quanta, quaeso, fenestra aperiretur hominum nequitias, cum quilibet homo scelestissimus harum restrictionum beneficio a periurii mendacique crimine se posset liberare, adeoque nulla veritas, nulla fides maneret pactis & foederibus, sed perpetua diffidentia esset, verendumque profecto, ne tota humana societas naufragium faceret funditusque periret, vinculumque solveretur, quo homines inter se colligantur. vid. Calov. Tom. IX Syst. p. 246 seqq.

IX. Sunt quoque in numero mendacium ii, qui fidē aliis datam malitiose frangunt, & datis promissis stare nolunt, quibus gnationibus totus terrarum orbis oppletus est, qui quidem montes saepe auri promittunt, sed quando tempus est promissa perfici, tunc boni viri nusquam apparent, atque adeo turpiter fallunt alios ac deludunt : quod vero contra omnem fidem est & veritatem, singulaque iura divina & humana pervertit. Haec enim abs quovis exigunt, ut quae dixit, re ipsa comprobet, nisi velit mendacium committere : nam quemadmodum veritas requirit, ut verba nostra a mentis sententia non differant, sic opera quoque debent cum verbis consentire, adeoque iuris naturalis praecipuum est, ea facere, quae quis promisit. Neque enim nudae honestatis hoc est, quod vult Seneca, quae lex, aiens, ad id praestandum, quod alicui promissimus, obligat? lib. V cap. V de Benef. Cui suffragatur Ictus Franciscus Connanus, qui Comment. Iur. Civ. lib. V cap. I. negare ausus est, quod nudis pollicitationibus & pactis, nullum *συνάλλαγμα* in se continentibus, naturaliter ius insit. Verum enim vero promissum cadit in debitum, in eoque alteri
fidem

fidem facimus ; quae dictorum factorumque constantia & iustitiae fundamentum appellatur a gravissimo sapientum Cicerone lib. I Offic. Quicumque vero iustitiae parere cupit, illum necessario oportet reddere debitum. vid. praeclaudati Dn. Praecept. nostri Colleg. super Pufendorf. lib. de O. H. & C. lib. I cap. IX. Connano satisfacit Grotius lib. II cap. XI § 1. de I. B. & P. & Pufendorf. de I. N. G. III. V. 9.

X. Quamvis autem satis appareat, naturali iure unumquemque debere promissis stare, de eo tamen dubitant nonnulli, utrum data fides hosti etiam servanda sit? quod quidem non pauci iverunt inficias, quorum princeps est pessimus ille politicus Machiavellus cap. XVII. de Principe, qui male ita docuit. Verum cum universali iure cogamur cuique dare, quod polliciti sumus, quidni etiam hosti? Accedit etiam gentium consensus, qui itidem imperat, ut pacta diligenter serventur lib. I de pactis. Quae sine dubio ad hostem quoque pertinent, cum hi aequae ac alii gentium iuris sint participes, & natura nobis aequales. Quod si iure divino & humano iustum est, datam fidem servare, sane iniquum erit, eandem violare, ex ratione oppositionis. Sacrae praeterea literae clare testantur, vindicem DEI iram vehementissime in eos animadvertisse, qui adversariis datam fidem violarunt. Id experiebatur rex Israeliticus, qui cum regi Babylonis iureiurando fidem promississet, se in vinculis mansurum, & deinceps rupto vinculo se ad regem Aegypti convertisset, DEVS indigne ferebat animadvertendum facinus, & foederis violatori hominique periuro gravissimam poenam denunciabat Ezech. xvii, 12 seqq. Probe id noverat Iosua sapientissimus belli dux, qui cum Gibeonitis iureiurando pollicitus esset vitam ipsorum fore salvam, & deinceps cognovisset, dolo id quaesitum

tum

tum esse, nolebat tamen foedus semel percussum rumpere, quoniam DEO iuraverat. Ios. ix, 3 seqq. Neque obstat, quod pollicitationes & pacta vi metuque extorta possint irrita reddi. Hoc enim non ita simpliciter intelligendum esse puto, quasi omne promissum etiam levi aliquo metu extortum irritum reddi possit. Deinceps inquirendum quoque est, utrum vis vel metus iuste, an iniuste inferatur: si iniuste inferatur, & quidem ab eo, cui promittitur, promissa sunt invalida. Nam ille, qui mihi iniuriam infert metum mihi incutendo, ipse in causa est, quo minus ius habeat adversus me ex illo actu. Puf. O. H & C. lib. I cap. ix § 15. Aliter autem se res habet, si pactum iureiurando fuerit confirmatum, quo in casu rumpendum id esse negamus, id quod constat exemplo Josuae paulo ante allato.

XI. His, ut opinor, satis enucleatis, confero me ad decidendam gravem & vexatissimam quaestionem, cuius causa tota fere dissertatio conscripta est, utrum nempe omnis omnino veritatis occultatio in vitiis sit commemoranda? sive, annon interdum liceat viro bono simulare & dissimulare? Vbi quidem praemonendum est, sermonem iam non esse de simulatione & dissimulatione, quas supra in classe mendaciorum collocavimus, eo quod de omnibus eorum proprietatibus participant. Tales enim homines, qui ita simulatione dissimulationeque utuntur, ut tantummodo aliis noceant, falsi politici sunt, qui in omnes formas se vertere norunt, suamque modo utilitatem quaerunt, non tolerandi in humana societate. In praesenti ergo quaeritur de ea simulatione, quam ego sine vitio meoque iure & prudenter usurpo, & quidem sine iniuria vel divini Numinis vel aliorum hominum.

C

Est

Est enim actus indifferens, cuius bonitas atque malitia ex fine aestimanda iudicandaque est. Non itaque facere possumus cum iis, qui omnem plane simulationem ex societate humana eliminare maxime conantur, quorum in numero est VVendelinus, homo Calvinianus, qui lib. I Phil. Mor. cap. XXXI, Qu. VI. omnem simulationem mendacium dixit. Qua quidem in re recessit a fidei suae sociis, quorum multi vehementer alias ludunt in religionis negotio, suamque fidem confiteri aut dissimulare pro re habent indifferenti. At enim merito VVendelinus eruditorum censuram meretur: contraria enim sententia firmioribus veritatis praesidiis innitur. Neque enim statim mendacium proprie dictum committit, qui interdum per externa signa, vocem, gestum & factum contrarium eius, quod est in animo, significat, ut iste quidem putat: cum plura adhuc requirantur, ut quis mentiatur. Certe si hoc demus adversario, etiam omnes ioci & stratagemata bellica mendacii insimularentur, quod tamen iudice ipso Vendelino falsum est. Sequeretur quoque exinde, quod omnes similitudines, omnia aenigmata, omnes typi, tropi & figurae mendacia vocanda sint, quae tamen in DEI hominumque sermonibus frequentissime inveniuntur, neque vitii quidquam in se continent, sive actum internum, sive etiam externum spectes. Neque destituimur exemplis eorum, qui prudenti ratione animi sensa celarunt, & diversum a mente protulerunt sermone, neque tamen ullam meruerunt reprehensionem. Sic obstetrices Aegyptiacae vehementer abhorrebant horrendum Pharaonis consilium de occidendis pueris Israelitarum, & falso sermone prudentique consilio causam in matres transferebant; neque tamen propterea sunt mentitae. DEO

quoque, qui ipse veritas est, gratum acceptumque erat hoc factum, ac propterea istas mulieres variis beneficiis ornasse legitur Exod. I, 20-21. Ita quoque Jeremias divinus vates de obsidionis eventu a rege interrogatus, apud proceres regni hanc quaestionem prudentissime occuluit, & aliam interim causam colloquii, nec tamen falsam attulit. Quo etiam referas exemplum Rachabae Jos. II, 4 quod laudatur Ebr. XI, 31. Jac. II, 25. ut a deo non opus sit limitatione H. Grotii, quando commentatur ad hunc locum, ante Evangelium mendacium viris bonis salutare culpae non ductum fuisse. Evangelium enim tempore V. T. quoque fuit praedicatum, & quod eo tempore Christianis in lege morali licitum fuit, hodie quoque licet. Verum errat Grotius errorem Socinianorum, quasi nos maiorem obedientiam hodie praestare deberemus legi divinae, quam tempore veteris testamenti, eo quod maiora illustrioraque beneficia praestita nobis sint; quo errore eruditissimis commentariis de iure belli & pacis insignem maculam asperit, quam vero ubique abstergit incomparabilis Theologus interpres D. Oslander in notis ad eosdem.

XII. Ceterum quo liquidius appareat, quo in casu veritatem dissimulare iisque sermonibus uti liceat, ex quibus alter falsam opinionem concipere possit, amplectimur egregiam distinctionem laudatissimi Theologi Dannhaueri, inter simulationem exploratoriam, stragematicam, rectoriam, erroris vel praeservativam vel correctoriam, & deceptoriam. vid. Coll. Decal. Disp. VI. Ultima nimirum plane non potest approbari, sed quatuor priores species simulationis laudem merentur, & prudentis nomen habet, qui iis uti didicit.

C 2

Cum primis
magistratus

magistratus ac iudices in loco eas usurpare decet, eaque propter a multis inter virtutes Politicas refertur Simulatio & dissimulatio. Egregie monet sapientissimus Cicero, eos, quibus commissa est respublica, ut ad effectum suorum consiliorum veniant, oportere, ut multa simulent inviti, multa dissimulent cum dolore. Eos namque decet mentem exquirere reorum, qui alicuius delicti arguuntur, ubi saepissime non possunt recta via indagare veritatem, sed uti debent prudenti quadam simulatione, quali Josephus eximia pietate vir utebatur erga fratres. Saepe quoque magistratus pecuniam extorquere debent ex civibus, quod manifestis semper consiliis facere non possunt, sed callidis artibus & prudenti veritatis occultatione. Non peccat ergo, qui fictis sermonibus fabulisque utuntur in erudiendis pueris, ut eo felicius optimarum artium disciplinis excolant animos permisumque est, ut puerorum aetas improvida ludificetur. Cuius quidem rationem hanc reddit Summus Grotius, quia liberi iudicandi destituantur libertate, hinc circa illam non posse iis iniuriam fieri, quia quamvis ipsis proponantur vera, non tamen facultas praesto sit iisdem, illa pro veris apprehendendi. Verum cum ratione utantur hominesque sint, adeoque iuris humani communione debeant frui, ne ab aliis laedantur, praeterea a parentibus bonis exemplis instruuntur, ut res saltem faciliores assequi possint: hinc ratio H. Grotii non satis probatur ab ingeniosissimo Pufendorffo lib. IV cap. I § 15 libri saepius a nobis allegati de I. N & G. Propterea vero fabulis aenigmatibusve docendos, & fictis terroribus coercendos eos esse docet, quoniam propter rationis imbecillitatem & vehementiam affectuum

ctuum

Etuum simplicem veritatem aspernantur, ne utiquam vero ideo, ut habeantur ludibrio & ignominiae exponantur l.c.

XIII. Succedit simulatio stratagematica, quae eo firmioribus argumentis obfirmanda est, quo magis de ea solet dubitari. Vbi quidem per stratagemata bellicaminae intellectas volumus illicitas fallacias, tam in verbis, quam in actibus consistentes, & contra datam fidem factas, quibus hosti fit iniuria: eas enim quis probaret? sed prudens & honesta simulandi dissimulandive ars intelligitur, qua quis hostem vel verbis vel actionibus circumvenit. Vt si imperator in iusto bello usu vestium insignium, velorum armorumque fugam simulaverit, aut milites ad arma vocaverit, ac si urbem vellet oppugnare, aut alios fictos rumores spargat, ut ita detrimentum afferat hosti, modo ea omnia fiant sine perfidia. Namque in bello cessat istud ius, quod alias homo habet ad alterius sententiam intelligendi, nec datur amplius inter hostes obligatio, cuius beneficio alter alteri debeat animi sensa aperire. Imo cum liceat aperta via & aperto campo cum hoste congredi acieque decernere: quidni etiam liceat clandestinis artibus & consiliis ipsi nocere, cum praesertim posterius magis videatur utile, quod hoc modo tot homines non debeant trucidari, & in caedendo modus adhibeatur. Nemo itaque culpabit prudentissimum consilium strenui belliducis Agesilai, quod in bello adversus Tissaphernem diligentissime celaret, qua iter esset facturus, eoque modo vinceret hostem. Neque enim imperatoris esse quisquam putaverit, ut multos rumores de suo adventu spargat, suaque consilia in vulgus edat, aut hosti dicat, quam

praecipue urbem aut quo modo oppugnare velit. Nam hostis tam tardae mentis non erit, ut dictis adversarii fidem illico adhibeat, quin existimabit, aliter eum facturum, ac pronunciavit. Hanc belli gerendi viam rationemque sanctissimi semper viri & belli duces persecuti sunt, quorum praecipuus nobis videtur Josua. Hic enim Palaestinam in potestatem Israelitarum iussu divino redacturus, non statim armis dimicabat, sed multum percontando lacessebat hostem, & prudentia militari adiutus plus proficiebat, quam alii aperto semper Marte dimicantes. Quod quidem non in Jerichunte oppugnanda solum fecit, sed ad idem faciendum incitabatur a divino Numine, cum oppugnationem oppidi Ai aggrederetur Ios. VIII, 2. Eandem dimicandi artem a DEO doctus erat David, qui cum bellum gereret adversus Philistaeos, serio monebatur, aperto ne campo se crederet adversariis, sed retrorsum iis resisteret: quod faciendo omnes adversariorum copias feliciter ex animique sententia disiiciebat 2 Sam. V, 23. Quorum sanctissimorum virorum pugnandi modum vel ideo nemo improbaverit, quia nihil sine DEI Numine agendum putabant, in omnibusque negotiis ab eo iuvabantur. Rebus sic se habentibus non satis causae habent, qui stragemata bellica inter illicita referunt, & turpitudinis esse affine existimant, hostem dolis ludere: decere enim putant imperatorem, aperto campo manum conferere cum adversariis, & forti manu vincere, non dolis resistere. Nam ubi dolus est, ibi exsulat fides. Lips. V Pol. cap. XVII. At enim hi viri non tam honestatis, quam gloriae & famae bellicae rationem habere videntur, quippe quam consequuntur ii, qui magnam vim hostium armis devincunt.

vincunt. Sed tamen ubi iustum bellum geritur, nihil interest ad iustitiam, sive aperte quis pugnet, sive minus: obtinet enim illud Spartani regis monitum: ubi leonina pellis non pertingit, oportet vulpinam assuere. Valer. Max. Lib. VII cap. IV. Quod autem attinet ad doli notionem, est ea ex eorum numero, quae pro re subiecta non minus in bonam, quam malam partem accipi possunt, atque ita in genere vocatur consilium, quod aequae bonum ac malum esse consuevit. Iuris enim sacerdotes Romani bonum dolum vocant, si adversus hostem aliquis machinatur lib. I § 3. D. de dolo. Per dolum malum autem intelligitur fallacia, qua quis alteri contra omne ius & aequitatem imponit & obest. Hunc in bello illicitum esse supra iam monitum fuit: illum autem nemo improbaverit, cum non sit ex genere illorum, in quibus locum habet illud vulgatum: Non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona. Tantum igitur abest, ut simulatio stratagematica in vitio ponenda sit, ut potius prudentiae mereatur laudem, qui ea commoda utitur. vid. H. Grot. de J. B & P. L. III c. I § 6 seqq. & Ziegler. ad h. l. Laymanni Theol. Mor. Tom. I. lib. II tr. 2 c. 12 n. 10. Huc quoque referenda sunt stratagemata, quibus oppositae uti consueverunt in bellis eruditae, & impune ad dolos licitos referuntur, si in tempore & loco adhibeantur. Boxhorn. Inst. Pol. lib. I cap. XV. explan. § 2.

S. D. G.

